



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Idololatrae & Haeretici figuram aliquam Caenae Dominicae servant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

VIII. *Caluinistarum in hoc Actu irreligiositas, & Catholicorum in eodem deuotio.*

IX. *Cœna Caluinistarum Peripatetica, & de nonorum Euangelicorum diuersitate.*

X. *De benedictione qua in Eucharistia adhibetur.*

I. **Q**uemadmodum diuini huius Mysterij simicam vel Mimicam quandam imitationem vetus ille cercopithecus, diabolus, inter ipsos Idololatrias introduxit, sicut non sine admiratione Lectoris recenset Iesuita Acolta, qui cum Indiæ populis diu est conuersatus: ita idem fecit inter hæreticos, cuiuscunque sint sectæ, qui insignis illius actionis Saluatoris nostri, qua Corporis sui manducationem instituit, commemorationem celebrant noua forma, nouo modo, perinde vt tota illorum fides est Noua. Quanquam nouam forte eam non sine iniuria dixeris, vt quæ antiquis hæreticis sic superinstructa. Sed eam videamus duntaxat, quæ Caluinistarum est in Gallia. *Horum mos est, quater celebrare Cœnam in anno, quamuis Caluinus dixerit, nunquam debere congregari Ecclesiam sine precibus & communicatione Cœna: & Beza, secundus eorum Pontifex scripserit, hoc sine institutam esse Cœnam Domini, vt continue ea reficiamur. Quæ igitur causa est, ait ad illum Schlussemburgius Lutheranus, miserime Cyclops cum Ecclesia tua, cur contra Dei præceptum, quater in anno celebrandam eam instituas? In Ecclesia Lutherana quotidie habetur Communio, in Ecclesia Catholica singulis diebus & singulis horis matutinis, per omnem terram habitabilem, qua cognitum est Iesu Christi nomen. At isti non nisi quater in anno Cœnam suam celebrare possunt, idque non raro sine aliquo præcedente ieiunio, sine mortificatione, & à mundanis negocijs cessatione: quin & vt supra monui, ientaculo sumto nonnunquam ad eam accedunt. Sed iam de modo, quo eam sumunt, videamus.*

II. Initio ad concionem pro more accedunt, locus ornatu instructus est ordinario, nec quidquam præter naturalem simplicitatem habet. Sciendum erat Ministris Saluatorem nostrum, quum Cœnam institueret, voluisse vt stratum esset locus, id est tapetibus exornatus, quemadmodum apud Lucã vox Græca *ἐστρωμένον* ostendit, quam ipsorum interpretes loco, *tapetibus instructum*, vulgata *stratum* reddiderunt. Hoc est illud cœnaculum instructum paratumque, quod *primam Christianorum Ecclesiam*

vocat Proclus. Immo ipse Dominus, vt Rabbini nonnulli affirmant, veste sacra, quam ipsi appellant Taleth, indutus fuit. Finita concione, Minister de cathedra descendit, & ante mensam mapainstratam consistit. Et hic omnis est ornatus quem adhibent: hæc eorum altaria. *Mensam habent ubi comedant, & non Altaria ubi consecrent*, dicebat de eorum similibus D. Augustinus. Philadelphenses hortatur S. Iguatius, *vt Altaria habeant, quæ venerabilia, diuina & sancta* S. Dionysius appellat. *Hoc altare tremendum & admiratione dignum*, inquit. D. Chryostomus, *ob sacrificium quod illi imponitur; petra est, sed petra sancta, propterea quod recipit Corpus Domini.* Et Optatus, *Altaria sedes appellat Iesu Christi.* Vfus horum Altarium non erat tantum, vt Sectarij affirmant, deuotiones Christianorum & oblationes recipere, sed etiam sacrificia Deo offerre, vt videre est apud S. Dionysium. S. Cyprianum. *Sacerdotes sanctæ Ecclesiæ, ait D. Clemens, Hostiam incruentam super altaribus Domini offerunt. Quum vela videris retrahi* (agnosce consuetudinem, quam hodie nos obseruamus in locis, vbi altaria sunt velo circumdata) *tunc superne* (inquit D. Chryostomus) *cælum aperiri cogita, & angelos descendere. Indigni sunt oculi peccatoris qui videant hæc mysteria, & aures quæ audiant.*

III. Quam adhuc esset Ecclesia huc illuc errans, portatilia erant Altaria, impositum habentia lapidem consecratum: sed postquam victoriæ eam fixam & immobilem constituerunt, è lapidibus extracta fuere Altaria. Itaq; illis in locis, vbi tuto sedere figere potuerunt præsci Christiani, Altaria fundauerunt, quæ in hunc vsq; diem in veteribus templis nostris existat. Et Christiani, qui Indias frequentarunt, quas olim D. Thomæ prædicatio peragravit, Altaria Christiana cum reliquijs quibusdam Imaginis Virginis in speluncis inuenerunt. Annon videtis S. Marrialem ad Burdegalenses nostros scripsisse, *se Aram Deo Israelis, & Martyri ipsius S. Stephanodedicasse?* Ea ara in ciuitate Lemouicum, vbi Apostolus iste Aquitanix quiescit, conspicitur, ædificata à Principe Stephano, quem ad Christianismum ipse conuerterat, ante eam noctes diesq; ardent septem candelæ, iuxta antiquam istam foundationem in Parlamento nostro & disceptatâ & confirmatam. Itaque primorum illorum Christianorum prima cura erat, Altaria Deo ædificare, quæ nuperi isti Christiani destruxerunt: aut si quando ingruerent persecutiones, ligneas aras habebant, quas honore & veneratione afficiebant. Probationem huius rei